



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Regnum Christi quale sit. tit. 243

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

2. dicit Apostolus: Viuo ego, sed iam non ego, sed viuit in me Christus. Et iterum: In fide viuo filij Dei. Sic charitas, pax, castitas, & cæt. incipiunt hic, & durabunt æternaliter, 1. Cor. 13. Maior charitas. Tamen sicarni & rationi humanæ nõ apparet, quod Deus daturus sit æterna gaudia, quando hic suos fideles permittit tribulari, attamen Deus, sicut fornax aurum probat, sic fidem nostram ipse probat, & sic purgat in præfenti, vt apti inueniamur ad ingressum cæli, & c.

*REGNUM CHRISTI QUALE SIT.*

## TITVLVS CCXLIII.

**P** R I M ò regnum Christi nihil aliud est, nisi potestas & victoria supra sathanã, peccatum, & mortẽ. Hæc enim omnia vicit Christus sua morte, & prostrauit sub pedibus suis, Philipp. 2. In nomine suo omne genuflectetur, quia dedit illi nomen supra omne nomen. De hoc regno, victoria & potestate locutus est post resurrectionem suam Christus discipulis per dies quadraginta, Actorũ. 1. Et committit hoc prædicare in vniuerso mundo, Marc. vltm. vt omnes credentes in eum, sciant talem regem supra hæc spiritualia, id est, peccatum, mortem sathanam, & cæt. sicut etiam ipsemet dicit Ioan. 16. Confidite, quoniam ego vici mundum, id est, peccatum, mortem, sathanam, quæ in mundo sunt. De hoc Apostolus gratias agit. 1. Cor. 15. quod nobis contulit etiam hanc victoriam, & c. qui in eius regno sumus.

Secundò, in hoc Christi regno sunt, qui habent fidem, dilectionem, timorem, continentiam, omnes fructus spiritus sancti, Galat. 5. Et secundum illos viuunt, illis motibus virtutum. Christus habitat in cordibus nostris, Ephes. 3. Deus det vobis secundum diuitias gloriæ suæ per spiritum eius corroborari,

M M m 4 per

per fidem Christum in cordibus vestris inhabitare, claritate radicati & fundati, &c. Ediuerso, ubi regnat sathan, operibus carnis, Gal. 5. auaritia, fornicatione, contentione, sectis, ebrietatibus, &c. ibi non inhabitat Christus, sicut Ephe. 5. Hoc scitote, quod nullus fornicator, auarus, immundus, &c. habebit partem in regno Christi. Nam huiusmodi opera & motus sunt omnino contrarij motibus virtutum, i. Spiritus sancti. Qui ergo iacet in operibus carnis, non habet partem in regno Christi & Dei. Qui enim hic in presenti vita non est in regno Christi, i. fidei & dilectionis, nunquam veniet ad regnum Dei, i. aeternam pacem & requiem, & gaudium.

Tertio, de illo Christi regno inquit Apostolus ad Roman. 8. Quis separabit nos à charitate Christi? aut quid poterit esse fortius illo rege Christo? Tribulatio an angustia, fames, nuditas, periculum, persecutio, gladius? Nam scriptum est Psal. 43. propter te mortificamur tota die. Aestimati sumus sicut oves occisionis. Terret mors, peccatum accusat, sathan tentat varijs modis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos: ideo certus sum, quod neque mors, neque vita neque angeli, neque homo, immo nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est erga nos propter Dominum nostrum Iesum Christum.

At inquires: Reijciam ergo omnes caeremonias, omnia externa, & solum credam? Respon. Absit, Hoc oportet facere, & illa non omittere, Matt. 23. Omnia præcepta Dei habent suas caeremonias, vt præcepta primæ tabulæ: adoratio Dei habet suas caeremonias, genuflexionem, pectoris percussionem: alterum, nominis Dei honorem in cãtando, legendo, &c. Sic percurrere singula præcepta, & reperies caeremonias, quæ sunt ornamenta præceptorum &c. Ideo nõ sunt reijciendæ, sed oportet discernere nucleum à testa,

ANIMA